



BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

CAMPEGGI LORENZO, *Constitutio ad removendos abusus, et ordinatio ad cleri vitam reformandam per reverendissimum in Christo patrem & dominum d. Laurentium Campegium tituli sanctae Anastasiae S.R.E. presbiterum cardinalem, & ad Germaniam &c. de latere legatum, anno Domini M.D.XXIII. Ratisbonae edita*, Riva del Garda, Jacob Marcaria, 1562.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T o op f 19

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/31>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TARENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.



Misc. Tex. 116

C MISC 34

BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

G
2 -op
f
25

BIBLIOTECA COMUNALE
TRENTO



ex libris



K 2401720

D 2401689

Stci

T 0-op f 19

Misc. I. C. c. 116. 56.

741
375

CONSTITVTIO AD REMOVENDOS
ABVSVS, ET ORDINATIO AD
CLERI VITAM REFORMAN.

dam per Reuerendissimum in Christo patrem
& Dominum D. Laurentium Campe-
gium tituli sanctæ Anastasiæ .S. R.

E. presbiterum Cardina-
lem, & ad Ger-
maniam &c.

de latere Legatum, Anno Do-
mini M. D. XXIII.

Ratisbonæ edita.

R I P A E.

M. D. LXII.



000

CONSTITUTIONAL HISTORY OF THE UNITED STATES

BY JOHN P. BURNETT

OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

AND

OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

AND

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

AND

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

1892

NEW YORK

A V R E N T I V S miseratione diuinati-
 tuli sanctæ Anastasiæ, S. Romanæ Ecclesiæ
 præbyter Cardinalis per uniuersam Germa-
 niam, ac Hungariæ, & Bohemiæ, Poloniæque
 regna, & quæcunque alia loca, ad quæ Nos
 declinare contigerit domini nostri Papæ, &
 Apostolicæ sedis Legatus ad perpetuam rei
 memoriam, Ex legationis officio a sede Apostolica nobis com-
 misso obligamur, ut circa statum personarum ecclesiasticarum sub
 finibus nostræ legationis consistentium in melius reducendum propen-
 sius cogitemus, ut quæ in eis sanctorum patrum decretis, & ordi-
 natione deuiare perpendimus, ad debitam reformationis normam
 dirigentes eis opem, & operam adhibeamus efficaces. Nuper si-
 quidem cum sanctissimus dominus noster **C L E M E N S** papa.
V I I. cum pro pastoralis suo officio, tum pro ea affectione, qua in-
 clytam nationem Germanicam paterne prosequitur, intellectus eius
 fluctuationibus, hæreticorumque impietate indies crescente Nos ad
 uniuersam Germaniam suam, & Apostolicæ sedis Legatum de late-
 re miserit, non aliam ob causam, quam ut tranquillitati prouintiae, &
 salutis animarum, quæ periclitantur, ob dictam nuper natam impurissi-
 mam omnem hæreseos sentinam, consulat. Quod onus licet humeris
 nostris impar, eius tamen perceptis, & mandatis obedire (ut re-
 nemur) uolentes freti Christi fauore Seruatoris nostri, (cuius nego-
 cium agitur), subiimus. Nihil hic profus nostris uiribus tribuentes,
 aut præterea cupientes, quam quod ad munus hoc feliciter imple-
 dum attineat. Cumque aliquot mensium experientia multa collap-
 sa, & præter omnem opinionem difficultatibus plena perpende-
 rimus cum Serenissimo **F E R D I N A N D O** Hispaniarum prin-
 cipe Archiduce Austriæ Imperiali locumtenente generali commu-
 nicatis consilii concordis sententia Particularem conuentum in ciui-
 tate Ratisponæ conuocare decreuimus. In quo una nobiscum inter
 fuerunt præfatus serenissimus Princeps, & Archidux, Reuerendis-
 simus Matheus. S. Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Angeli presby-
 ter Cardinalis, Archiepiscopus Saltzburgen. Ac Illustrissimi Vi-
 lhelmus, & Ludouicus Palatini Rheni duces in superiori, & inferi-
 ori Bauaria fratres germani. Venerabiles in Christo Patres Bernar-
 dus Episcopus Tridentin. Ioannes administrator Ecclesiæ Ratispo-
 nen. Palatinus Rheni dux Bauriæ. Ac nuncii, siue oratores omnes

cum pleno mandato uenerabilium in Christo patrum, & Illustris-
 morum principum Vigandi Episcopi Bambergen. Georgii episco-
 pi Spiren. Palatini. Vilhelmi episcopi Argentin. Christophori
 episcopi Augusten. Hugonis episcopi Constantien. Christophori
 episcopi Basilien. Philippi episcopi Frisingen. Palatini Rheni ducis
 Bauriæ, Ernesti administratoris ecclesiæ Parauen. ac Palatini
 Rheni ducis superioris, & inferioris Bauriæ, & Sebastiani episcopi
 Brixien. cum quibus pluribus hinc inde in discussionem allatis, &
 præcipue quibus consiliis, quibusque modis præfate nationi Germa-
 nicæ periclitanti consuleretur, Paribus sententiis receptum fuit, hanc
 perditissimam hæresim rudi populo plausibilem ob libertatem illi
 falso persuasam prætextu Euangelicæ charitatis, non paruam has-
 buisse occasionem, partim a perditis moribus, & uita clericorum,
 partim ob non diutius disimulandum sacrarum sanctionum, eccle-
 siasticarumque constitutionum abusum, & perinde non parum mo-
 menti fore extirpandæ hæreticorum Lutheranorum, & eorum se-
 quatum sectæ, ut clerici ad honestatem uitæ, moreque suos illos,
 quos diuus Paulus exigit, & præscribit debita censura reducti, abu-
 susque laicos male offendentes sublati fuerint, Itaque habitis matu-
 ris deliberationibus, & piis consiliis præfatorum Ferdinandi princi-
 pis, Cardinalis, ac ducum, & episcoporum, atque nunciorum suorum
 infrascriptos salutare aliquot, tam necessariæ reformationis sacra-
 dotum præbyterorum, religiosorum, & clericorum modos præscri-
 bere, statuere, sancire, atque ædere necessarium duximus. Quo cir-
 ca auctoritate apostolica, qua fungimur in hac parte statuta, & ordi-
 nationes per nos (ut præfertur) ædita ab omnibus, & singulis
 Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archi-
 diaconis, & aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, ac pa-
 rochialium ecclesiarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum,
 rectoribus, presbyteris, religiosis, & clericis in uniuersa Germania
 residentibus, prout eos, & eorum quemlibet respectiue tangit, aut
 tangere poterit, in futurum perpetuis futuris temporibus inuolabili-
 ter obseruari uolumus. Decernentes irritum, & inane si secus super
 his a quoquam quauis auctoritate sciëter, uel ignoranter contigerit
 attemptari. Et nihilo minus uniuersis, et singulis Archiepiscopis, Epi-
 scopis, Abbatibus, ac aliis personis in ecclesiastica dignitate consti-
 tutis, nec non Metropolitan. & aliarum cathedralium ecclesiarum,
 Canonicis, ipsorumque Archiepiscoporum, & Episcoporum officialis

744

bus, & vicariis generalibus per præfentes committimus, & mandamus. Quatenus ipsi, & eorum quilibet, si & postquam pro parte illorum, quorum interest, aut in futurum inter esse poterit, fuerint requisiti statuta, & ordinationes huiusmodi, & horum singula inuiolabiliter obseruari faciant. Contradictores per censuras ecclesiasticas, & alia iuris remedia compescendo. Inuocato si opus fuerit auxilio brachii secularis non obstant. consilii. felicis recordationis Bonifacii Papæ. VIII. qua cauetur ne quis extra suam ciuitatem, & diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam diem a fine sue diocesis ad iudicium euocetur. Seu ne iudices a sede apostolica, uel eius auctoritate deputati extra ciuitatem, & diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, uel alius uices suas committere præsumant, Et in concilio generali de duabus dietis, & personis ultra certum numerum ad iudicium non uocandis, & aliis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Verum quia difficile foret præfentes literas ad singula loca, ad quæ expediens fuerit deferri, uolumus, & auctoritate apostolica decernimus, quod transumptis præfentium literarum manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis ea fides adhibeatur, quæ eisdem originalibus, si essent exhibite, uel ostense adhiberetur. Et ut huiusmodi statuta, & ordinationes ad singulorum notitiam deducantur, uniuersis locorum ordinariis, auctoritate apostolica præfata in uirtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus statuta, & ordinationes huiusmodi per se, uel alium, seu alios in eorum ecclesiis, uel ciuitatibus publicent, seu publicari faciant quæ post publicationem ipsam eisdem, quorum interest, aut interesse poterit. Perinde ac si eis personaliter intimatæ essent, aut intimarentur. Tenor uero statutorum, & ordinationum prædictarum sequitur, & est talis.

Cum potissimum anima uerbo, quod ex ore Dei procedit, uiuat, id autem nec passim, nec ab omnibus expediat prædicari admonente apostolo, qui inquit, quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur. Ideo statuimus, & ordinamus, ut non liceat cuiquam etiam religionem professo, & quomodolibet exempto Euangelium docere, nisi ab Ordinario, uel eius Vicario tam moribus, quam doctrina probatus fuerit, facta fide per patentis literas, quæ præter Notarii mercedem gratis prorsus concedantur. Missi itaque, atque probati Euangelicum negotium tractabunt recte, sobrie, et pure, loca quæq;

recondita magis, & abstrusa, intellectu; difficilia, non ad nouum, & adulerinum sensum, Sed iuxta sanctorum patrum, & ab ecclesia receptorum doctorum præcipue Cipriani, Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, & Gregorii exponant, & interpretentur, omni etiam ope studeant, ne pro ueris somnia, & aniles fabellas, pro certis dubia, pro receptis apocripha, & iam dudum explosa, damnataq; ab orthodoxa ecclesia tradant, uel depromant, idq; omni modestia, ne unquam eos ad conuicia, iniuriasq; delabi contingat, locusq; ille cum populi offendiculo de honestetur, itaque Ordinarius alius quot excellenti doctrina præditos constituat, qui per diocesim inquirent, qui sint ad Euangelicam doctrinam idonei disseminandam, quiq; ad Lutheranam perfidiam non deflectiant, ut remedia adhibeantur, quo populus recte instituatur in Christiana lege, & ab ea deficiens, ne secum alios trahat, debite coerceatur, cultus diuinus obseruetur, peragaturq; his modis, & ritibus, qui per manus sanctorum patrum nobis traditus, & per maiores nostros obseruatus est in sacrificio altaris, officiis defunctorum, canonicis horis, cæterisq; diuinis laudibus, atq; ceremoniis.

Hinc hortamur, atque monemus omnes, & singulos, qui sacris initiati sunt, ut uiuant uitam, quam professio exigit, & Christus requirit inquiring. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum, qui in cælis est, cum uestro honesto incedant, quem Paulus alibi præscripsit. Quapropter singulari cura intendat quisque Prælati, ne hi, quibus præest, in sacris ordinibus constituti uestes uarii coloris, uelut uirgatas, & sumbratas deferant, sed longis, atque talaribus utantur, nulla arma induant, nisi itinerantes, barbamq; & comam non nutrant, coronam, & tonsuram deferentes tum summo opere curantes, ne quem laicorum indecentia uestitus offendant, ut sacris Canonibus cautum est.

Insuper tabernas publicas euitent, nisi eas peregre proficiscentes ingredi oporteat, & tam inibi, quam domi, & alibi a crapula, & ebrietatibus, omniq; ludo a iure prohibito, blasphemis, rixis, ac aliis quibuscunque excessibus, & offensionibus penitus abstineant. Choreas, spectaculorumq; & conuiuia publica uitent, ne ob luxum, petulantiamq; eorum nomen ecclesiasticum male audiat.

Cumq; secundum Apostolum nemo militans Deo sese negotiis secularibus implicare debeat. Nemini liceat contra provincialia sta-

tuta, & synodalia domi suæ tabernam, compotandiq; locum aperire laicis, quoniam non raro sequi solent ebrietatem rixæ, cædes, & multa hoc genus scelera, quæ sacerdotalem polluunt dignitatē. Præterea negotiationibus, mercimoniisq; more mercatorum abstinereant.

Sacerdotes autem curati, quiq; vicem eorum referunt, subditos in remediis, & aliis iuribus parochialibus ultra ea, quæ sibi de iure debentur, non grauent, ultraq; depositionem eos ad peractiones septimi, tricesimi, uel anniuersarii peragi faciendas, non cogant, tum præter oblationes festis solemnibus fieri solitas, cum illa pro arbitrio fieri debeant, alias non exigant.

De sepultura quoq; ac administratione sacramentorum, aliisque spiritualibus pacisci, aut aliquid ab inuito exigere nemo possit, aut debeat, & propter eiusmodi parrochianis neglecta cuiquam non liceat aliquod sacramentorum denegare, neq; propter debita quæpiam ab ecclesiastica sepultura prohibere. Parrochialia tamen iura, quæ usus recepit, & debentur altari seruienti, per prædicta non abrogamus.

Cum autem in diocesisbus non sit eadem consuetudo, & inter subditos, & pastores multa & uaria emergant disidia, pastoribus quibusdam plura exigere propensis. Subditis uero ob penuriam, & egestatem reclamantibus, & recusantibus, ordinamus, quod quilibet ordinarius infra sex menses post præsentium, publicationem, omnibus perpensis, beneq; & sufficienter examinatis super prædictis certam legem, ordinationemq; una cum Principum, aut dominorum secularium consilio, quos ista negocia tangunt, constituat, ne uiduæ, pupilli, & alii pauperes nimium ultra uires iniuste grauentur, quod nos, si neglectum fuerit. Si in prouincia aduerimus, uel successor noster, habita plena de his informatione facturos pollicemur, aut rem ipsam Sanctissimo Domino nostro relaturi sumus, qui huic rei prospiciendæ iudices deputabit.

Conuiuia presbyterorum, quæ in exequiis, & fraternitatibus publice in tabernis, hucusq; exhibita sunt, prorsus abrogamus, quod plerunq; laicis sint scandalo, si autem conuiuium uel consuetudo, uel locorum distantia exiget, fiat illud in domo sacerdotis honesteque, non ad luxum, sed ad necessitatem instruatur. Siquidem neq; commessationis, neque comotationi uacandum est sacerdotibus, cum quod non audiant, quorum deus uenter est, tum quod officio eorum est, & sobrie, & caste pro peccatis deo, dona sacrificiaq; offerre.

Porro ne & ipsi uideantur pecuniæ aucupium magis, quam salutis animarum studium amplecti, dum laicos grauiora delicta confessos hincinde remittunt, non sine famæ, rerumq; dispendio, Constituimus, et ordinamus, ut deinceps quilibet confessor absolueret possit laicos contritos, & confessos a quibuscunque peccatis occultis, quantumcunque grauib; & enormibus, quæ ordinarii suæ auctoritati referauerant, exceptis dumtaxat homicidis, hæreticis, & excommunicatis ad Episcopum, uel eius Vicarium mittendis, quo autē ad clericos, nihil quo ad hoc statutum intelligatur, innouatum, pro condonatione autem, & remissione peccatorum, quam absolutio nem uocant, nihil omnino ab inuito exigant.

Sancimus quoque iuxta Apostoli sententiam, quæ dicit, Nemini cito esse manum imponendam, ne cui temere cura animarum committatur. Itaque probetur prius per Episcopum, uel eius officialem etiam religionem professus, nec liceat ulli Vicarium ecclesiæ, & plebis suæ sufficere illamue locare, siue emolumentum, quod absentia nomine recipiet, constituere sine auctoritate Episcopi, aut Vicarii, nam cum os boui tritianti non sit alligandum, Episcopi, uel officialis arbitrio eiusmodi emolumenta locationum, & absentiarum moderanda censemus.

Domos quoque, fundosq; dotales beneficiorum collapsos instaurant possessores, quantum necessitas postulauerit, reparataq; in debita structura conseruent, & per Archidiaconos, & decanos rurales, ac alios, ad quos de iure, uel consuetudine spectat, ubi negligentes fuerint per subtractionem prouentuum auctoritate nostra arctius compellantur.

Expresse cauentes ne cura ecclesiarum, beneficiorumq; concedatur religionem quamcunq; professis, etiam exemptis, quod si aliqui hætenus admisi, uel recepti essent, nisi de uoluntate, fauoreq; superioris sui, legitimisq; causis constiterit extra sua monasteria degere, nequaquam sibi integrum fore putent, quando illos sic uagos per Ordinarios, uel Vicarios ad superiores suos per uictus denegationem, aut alia iuris remedia remittendos esse iubemus.

Monasteriorum Prælati unitas ecclesias habentes prædictos Vicarios perpetuos, uel ad nutum ammouendos in eisdem ecclesiis in posterum non constituant, nisi prius per Ordinarios, aut eorum Vicarios, ut idonei, & apti fuerint admisi, ecclesiæ tamen suis monasteriis unitæ usque adeo propinquæ, quod religiosi earundem curam

habitori sub religione in monasterio, sub debitaq; obedientia stare possent, modo sunt habiles, & idonei per huiusmodi religiosos prouideri possint, id quoque permittimus de monasterio, quod tam tenuē est, ut debitam sustentationem habere nequeat, uolentes religiosos, & qualitercunque exemptos curata beneficia habentes ordinario loci esse subiectos. Cumq; in ecclesia Dei magis præset paucos bonos, & doctos, quam plures indoctos, et imperitos habere ministros, id quod ratio nostrorum temporum exigere uidetur, Idcirco deinceps non initiuntur sacris ordinibus, nisi uiri morum, uitæ candore, & doctrina præ cæteris spectati, probatiq; per testimonium examinis rite seruandi.

Quod attinet ad ordinatos in urbe, uel in alia quacunque aliena diocesi sancimus, ut & illi suarum ordinationum literas, & titulos ostendant, Et simili modo ad diuina peragenda prius non admittantur, quam ab Episcopo, uel Vicario, seu Officiali fuerint rite admissi.

Præterea cum nihil æquæ conueniat omnibus numeris, ac eos esse mundos, qui uisa domini portant, & in sacrario operantur, quales sacerdotes constituit ipse dominus, qui quotidie sacrosancta tractant, & in illis uersantur. Igitur uolumus, atque iuxta sanctiones canonicas feliciter a diuis patribus institutas sancimus, ut caste, continenterq; uiuant. Sacerdotes concubinarij, incontinenterq; uitam agentes, Canonum pœnis in ordinem redigantur nulla consuetudine eis, nulla conuiuentia, immo damnosa Prælatorum negligentia patrocinate.

Quo uero ad quæstores, qui uulgo Stationarii appellantur, statuimus, ne quis quauis auctoritate, & literarum occasione, uel ad prædicandum, uel subsidia, elemosinasq; colligendas se ingerat, utcunque se iactet indulgentiis abundare, nisi prius literæ admissionis, & approbationis Ordinariorum, uel Vicariorum ab eo prolata fuerint, astringentes ipsos Ordinarios, ut tales admittant, qui probæ uitæ testimonium habeant. Et de prædicatione sua, dum opus erit, rationem reddere possint, elemosinis, piorumq; oblationibus non abufuri per luxum proprium, religione iusiurandi affirmaturi. Se nec quotam, nec rotam colligendi facultatem certa summa pecuniarum pactos esse, Fratribus tamen mendicantibus integras, saluasq; concessiones a sede apostolica factas relinquimus.

Et ut pastor agnoscat uocem ouis, & illa uicissim uocem pastoris audiat, tollaturque omnis uagandi occasio. Ordinamus, quod presbyteri peregrini, & ignoti ad missarum sacrificium non admittantur, nec ultra mensis spacium in consortio presbyterorum tollerentur, nisi exhibeant, literas admisionis alterius ex Archiepiscopis, uel Episcopis, in cuius dioecesim se transfulerint, ac documenta, & literas testimoniales sui Ordinarii, a cuius diocesi proxime discesserunt. Quibus de eorum ordinibus, & honestate constet, ne aliquis in corrigibilis post perpetratos excessus, impune ad alienam dioecesim transeundo, euadat.

Vt autem Christi fidelum elemosinarum in usum, pro quo erogantur, uertantur, non liceat procuratoribus, seu uitricis fabricarum, in singulis ecclesiis quicquam de pecuniis ad fabricam prouenientibus distribuere, aut in aedificiorum, uel alterius rei usum dispensare sine rectoris scitu, sed ad armaria fabricae reponantur. Vt haecenus seruatum est duabus, uel tribus clauibus pro loci consuetudine tenendis, quarum una ipsi rectori seruanda tradatur, obseruato usu in clauibus, & rationibus reddendis; a principibus, & superioribus haecenus recepto:

Statuimus quoque, & ordinamus, ne Episcoporum in pontificalibus Vicarii, in consecrandis ecclesiis, & altaribus, quod sacri uidentur cauones, quicquam omnino exigant, excepta procuratione. conuenit namque, ut pro qualitate status ipsorum Episcopi prospiciant, praestando praecipue pensiones super fructibus mensae episcopalis a sede apostolica constitutas, ne aliquid attemptare habeant in dedecus episcopalis dignitatis.

Nec abre, immo iustus de causis adducti, festorum multitudinem infringendam esse duximus. Statuentes, & ordinantes, ut de cetero dominica dies, quae in gloriam dominicae resurrectionis ad nos usque a primitiua ecclesia maxime celebris semper habita est: Dies quoque natiuitatis Christi, Sancti Stephani, Ioannis, & Innocentium, Circumcisionis, Epiphaniarum, Paschae cum feria secunda, & tertia duntaxat, Ascensionis, Georgii, Penthecostes cum feria secunda, & tertia duntaxat, Corporis Christi, quatuor beatae uirginis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, & Natiuitatis, Natalicia Apostolorum, Ioannis Baptistae, Magdalenae, Laurentii, Dedicationis, Michaelis, omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, & Catherinae,

Et per diocesim Saltzburgen. festiuitates sancti Ruperti, sicuti hactenus obseruatæ fuere, celebres quoque, & festi habeantur. In cæteris autem festiuitatibus quacunque ratione, uel institutis, uel receptis, & quæ sub præcepto celebrari debeant, permitimus liberumque cuique facimus, ut missa audita, ad operas suas, quibus suam, suorumque alimoniam quærere cogitur, redire possit. Festis tamen dedicationum, patronorum, & principum nihil derogantes, quo ad eorum celebrationem in cathedrali sede, ciuitateque, ac loco, etiam episcopalis residentiæ duntaxat.

Cumq; inter pastores, & gregem propter nuptiarum celebritatem, quam alii inroniuationem, alii solemnisationem uocare solent, multa & iurgia, & scandala eueniant, declaramus, & statuimus. quod matrimonia in conspectu ecclesiæ possint solemnifari, nullo ab ordinario ad hoc consensu petito, aut quapiam re pro eo exposita. Exceptis tamen, tota quadragesima, ultima hebdomada aduentus, festis Paschæ, Penthecostes, & natiuitatis dominicæ, cum octauis, ac diebus rogationum. ¶ Ieiunia ab ecclesia instituta sub debito obedientiæ sanctæ ecclesiæ cathol. cæ impostero indici debent, omisso excommunicationis uerbo, ne infirmorum conscientiæ offendantur, cum his temporibus pietas pene omnia iaceat, sacerdotibusque parum deferatur.

Vt igitur & extinctus cultus excitetur, populuscq; non fiat in dies negligentior, Statuimus, ut propter cædem clericorum persona tantum, non autem locus, interdicendus ueniat, nisi cœtu, concursuq; populari facinus patratum esset.

Inhibemus insuper, ne impostero Episcopi clericis legitimis ab intestato decedentibus in patrimonialibus bonis, aut industria propria acquisitis succedere possint aut debeant.

Cumq; quotidie ob nouas, immo iam olim damnatas hæreses, apostatarum, & religiosorum, sacerdotumque numerus in imensum crescat, quamplurimis eorum uxores ducentibus. Vt ergo sacrilegia hæc impunita non remaneant. Concedimus quibuscunque Principibus, statibusq; potestatis secularis, eorumq; Officialibus, ut eiusmodi apostatas, & sacrilegos capere possint, modo reos ipsos Ordinariis infra tempus debitum tradant, & assignent absque aliqua in eos tortura, & animaduere-

sione debite puniendos, quibus enixe mandamus, ut omni postea mora, fauoreq; diligentius, quam hactenus factum fuit, iuxta sacrarum sanctiones omnino puniant facinorosos, adeo quod criminis enormitate exostulante possit Episcopus seruata forma capituli primi de hæreticis in sexto, reum curiæ seculari relinquere, uel ad perpetui carceris erumnam damnare, negligentia autem Ordinariorum ad apostolicam sedem deducta, iudices ecclesiastici, ab ea deputantur, qui constituto de Ordinariorum negligentia ad preces Principum, aliorumque secularium, reos maxime hæreseos meritis poenis afficient. Quod iam Episcoporum quidam, ut acceptis de beneficiorum pensionibus, atque absentis exigant decimas, cum sit id contrarium iuri, longeque præstet male inductis usus delere, quam inusitatum quid admittere, idcirco decimas eiusmodi ulterius exigi, soluiq; interdiciamus, usumq; talem qualitercunque receptum cassantes, cassatumq; esse censentes.

Item improbamus, & ut absolum prorsus reicimus, ab Episcopis medios exigi fructus de beneficiis, quæ unius sustentationi uix sufficiunt, ut sunt, quæ non excedunt ualorem triginta duorum rheuensium, de quibus in Romana curia medi fructus non exiguntur. Quod etiam ab Ordinariis obseruandum esse præcipimus, nisi concordatis aliter cautum esset, uel honesta ratione, aliquid, sine tamen reprehensibili grauamine, accipiant.

Cæterum quo maior fiat coniunctio, firmaq; magis inter prouinciales stabiliatur concordia totius prouinciæ, antiquum morem synodorum innouantes, statuimus, ut singulo triennio post Pascha prouinciale concilium celebretur.

Ad hæc cum beneficia propter officia iuxta patrum sanctiones dari consueuerint, fieriq; uix possit, ut in tanta præbendorum caterua non reperiatur, qui officii oblitus horas negligat canonicas, Hinc statuentes uolumus, & Ordinamus, ut locorum Ordinarii per Archidiaconos, & Decanos de huiusmodi sacerdotibus negligentibus, sese diligenter edoceant, & secundum uniuscuiusque negligentiam, atque desidiam fructus perceptos, uel in utilitatem ecclesiæ, uel in usum pauperum uertant. Quod si post legitimas monitiones, & simul primam correctionem in eandem negligentiam, quæ dissolutæ prorsus mentis indicium est, quis relabatur, tum beneficio etiam ecclesiastico priuetur, Collatorique, uel patrono de alio idoneo prouidendi,

aut presentandi sit potestas :

Sanctionem patrum, qua ecclesiastica sepultura priuatur quis quis non confessus, nec eucharistiæ paschali tempore communionem sumpserit, inuiolabiliter obseruandam esse statuimus, ac ubi quem contigerit, inopinata morte obire inconfessum, sepultura præfata, illum carere non uolumus, modo ipsius curato confiter, uel doceatur ille, ipsum, secundum iam dictam sanctionem confessum esse, & simul communicatum, aliudque non obstat canonicum impedimentum.

Ad tollendam execrabilem blasphemiam diuini nominis, atque diuorum, quos temere fas non est, statuimus, & ordinamus, ut quicumque clericus, uel sacerdos deo palam maledixerit conuitiis, contumeliosisque, atque adeo obscenis uerbis incesseuerit deum, & dominum nostrum Christum, aut nunquam factis laudatam matrem eius gloriosam uirginem pari blasphemia lingua impetuerit, aliosque sanctos blasphemauerit, fructuum, uel bonorum priuatione seu aliis pœnis pro qualitate blasphemix, & delicti pleciatur.

Contra symonix labem non discedimus a patrum sanctionibus, iubentes eas sub pœnis in illis contentis obseruari.

Infortilegos, diuinaculos, incantatoresque clericos, quos tam sacrx leges, quam patrum decreta execrantur, statuimus, & ordinamus, ut arbitrio superiorum infamia notentur, si qui moniti non desisterint, ordine amoueantur, inque monasterium ad tempus iuxta arbitrium superioris relegentur beneficiis, officisque suis ecclesiasticis priuati. Cæteri autem pseudo christiani, de fideq; parum probe sentientes citra delectum personarum, hæretici quoque, uel iudaismum referentes, a sancta Christianorum congregatione procul arceantur. Contraque eos diligenti inquisitione procedatur per Ordinarios, uel eorundem Vicarios, aut hæreticæ prauitatis inquisitores, uel per iudices a sede Apostolica, uel per nos deputandos, ut non resipiscentes pœnis puniantur debitis:

Prohibemus etiam, tam clericis, quam laicis de sacrosancta fide temere, præcipue inter pocula, atq; conuiuia disceptare, iniungentes sacerdotibus, ut omni modestia utantur, & peculiariter operam impendant nouo, ueteriq; testamêto legendo, ut par est, ne per ocia in

uitia, uoluptatesque labantur.

Statuimus, & ordinamus, ut quilibet Episcopus diligenter provideat, atque imprimis id curet, ut Vicarii siue perpetui, siue pro nutu positi, competentem uiuendi portionem assequantur, ne detur eis anxia suos subditos ob rei familiaris penuriam grauandi. Porro quod proxime accedit ad apostolorum institutio nem, moremque primitiuae Ecclesiae hortamur, cum Praelatos, tum reliquos sacerdotes, ut meminerint pauperum, & elemosinis studeant alter alterum uincere.

Sunt item pleraque alia a summis pontificibus, sacris Conciliis, prouincialibusque, & synodalibus constitutionibus prodita, quae mire decent, & adornant candorem uitae clericalis, nec minus obuiant offendiculis, quae Christus passim cauenda praecipit, quae uelut sancta teneri, & obseruari mandamus, transgressores secundum canones ipsos praedictasque constitutiones puniri uolentes.

Inhibentesque propterea omnibus & singulis Vicariis, & Officialibus, nec non & Archidiaconis, & Decanis ruralibus, aliisque, ad quos criminum denuntiatio, correctioque quomodolibet spectat, aut quibus id per Ordinarios committetur, ne ad excessus, transgressionesque alicuius, dictarum constitutionum, statutorum, & ordinationum nostrarum ob pecuniam etiam ultro oblatam, aut alterius rei gratia conuieant, sed potius ad poenas de iure, uel consuetudine debitas contra delinquentes, pro delicti qualitate, & officii sui debite procedant, atque ut ita fiat, quoniam nihil proderit leges condere, nisi sint, qui conditis iuuant, mentemque earum exequantur, utque reflorat catholica fides, ecclesiasticaque dignitas (haeresibus radicitus extirpatis) suum locum recuperet, idque uix alio medio aptius, atque commodius fieri possit, quam synodis, itaque priscum synodorum morem, renouare cupientes, statuimus, & ordinamus, ut singulo anno saltem synodus dioecesana oportuno tempore a singulis Episcopis celebretur, cum potioribus Praelatis, Decanis ruralibus, uirisque dignis, in quibus per quartas designentur iudices, qui diligenter intendant, si statuta praedicta, ac alia per synodos de scitu Episcopi statuenda obseruentur, inuocato ad hoc, si opus fuerit brachio seculari. Mandantes propterea, ut huius nostrae constitutionis, ordinationisque series, in praefatis

synodis, tam prouincialibus, quam dioecesanis, in earundem principio diligenter legatur, ne quis in futurum ignorantiam prætexere possit.

Datum Ratisponæ. Anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo uigesimo quarto, nonas Iulii, Pontificatus præfati domini nostri Papæ. Anno Primo,

Visa.
Iul.
Flo. Montinus.



de Paternina.


G. Prego.

...
...
...
...
...
...
...
...
...
...

V. V.
M.
1780



G. P. P.



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T
O
op. f
19

Misc. I. C. c. 116. 56.

741
300

CONSTITVTIO AD REMOVENDOS

NATIO AD
ORMANs

triffo patrem

Campe-

.S.R.

2a

o Do-

I.

E.

